

*hæreticus esse non possum.* Similiter non potest ex catholica doctrina oriri nisi bonum, humilitas, obedientia, pax, concordia, conversatio et mores boni: ex hæretica vero non nisi sectæ, dissensiones, strages, ordinis perturbatio, etc. quæ ex illa prodeunt. At si de tertio fructuum genere loquamur, intelligi potest sententia, de eo, quod communiter fiat et ut plurimum. Sic arbor bona fere bonos tantum, mala fere malos tantum fructus facit; licet interdum evenire queat, ut illa malos, hæc bonos aliquos ferat. Sic dicebat Joseph arbor bona: *Quomodo possum hoc malum facere et peccare in Dominum meum?* Gen. XXXIX. et de mala arbore ait Jerem. c. XIII. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Non quod hoc sit impossibile, sed quod valde difficile. Ita dicitur Eccl. XXXIV. *Ab immundo quid mundabitur? Et a mendace quid verum dicitur?*

IV. Cur requirit a nobis Deus fructus bonorum operum? Et cur in ignem mittet eum, qui illo caret? Respondi ad hoc alibi, supra hujus dom. III. Sed objiciunt primo: Vita æterna donatur nobis ex gratia et misericordia, juxta id Rom. VI. *Gratia Dei, vita æterna:* et Rom. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus;* ergo non datur ex merito bonorum operum. Resp. vitam æternam dari ex gratia, quia non datur propter opera viribus propriis parata, sed propter opera ex gratiæ adjutorio profecta. Certe si quis pistor pauperi det nummum ex misericordia, quo panem sibi pauper ab eodem pistore emat: recte dicitur pauper panem habere ex misericordia respectu pistoris donantis nummum: et tamen nihilominus panem habet ex justitia, sed debito, respectu ejusdem vendentis panem, quia pretium dedit pro pane. Ita præmium cæleste nostris meritis repensum etiam Dei donum est, quia ipsa merita a Deo donantur: unde S. Augustinus ad Sixtum ait: *Omne meritum nostrum in nobis non parit, nisi gratia; et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, nisi munera sua.*

Secundo, objiciunt: Electio certa est et infallibilis, ergo si electus sum, salvabor etiam sine operibus: vel si non sum electus, nec cum illis poterō salvari. Hoc argumento nixus Ludovicus Landtgravius Thuringiæ, ut scribit Cæsarius, l. 1. hist. c. XXVII. cum corripere a bonis, dicebat: Si prædestinatus sum, nulla mihi peccata poterunt regnum cælorum auferre; si vero præscitus, nulla bona opera mihi id valebunt conferre. Sed deceit illum medicus, quantum in hoc erraret. Cum enim in morbum incidisset Ludovicus, et medicum vocasset, respondit medicus: *Domine, si moriturus es nil juvabit me-*

*dicina: sin autem victurus, frustra adhibebitur.* Quod responsum, cum ille miraretur, et diceret se opera medicinæ vivere, defectu ejus mori posse, subintulit medicus: Ita nimirum et tu salvabere, si adhibeas opera pœnitentiæ; sine his damnabere. Ita emendatus comes, deposuit errorem. Act. VII. legimus S. Paulum ex angelî revelatione didicisse, neminem ex sua navi periturum naufragio, sed omnes ipsi donatos esse: et tamen cum tempestas advenisset, omnem adhibebant operam, et totis viribus laborabant, modo holidem submittentes, modo anchoram mittentes, modo navem exonerantes, modo vasa submittentes, modo enatantes, donec omnes evaderent. Sic factitandum nobis.

Sed quid ad hæc Lutherus? « Ego dico tibi, (ait in quodam sermone super illa verba: Sic Deus dilexit mundum) quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire, ac per eam penetrare. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare: ideo oportet te tenuem atque angustum fieri. Hoc fit autem quando in te desperas; si autem adveneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui penetrare non poteris. » Hæc Lutherus sacrarum litterarum derisor, ex cujus sententia Cain quidem, Sodomitæ et omnes improbi in cælum penetrarunt: Abel autem, et Abraham, et alii sancti exclusi sunt; quasi vero opera bona gravent et impediunt scelera vero levant, et ad cæli iter expeditum faciant. Certe bona opera non magis gravant, aut impediunt hominem ab ingressu cæli, quam alæ gravent volucrum, aut rotæ currum: quæ non modo non gravant aut impediunt, sed alleviant et promovent.

Sed quid ad hæc Scriptura? *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Mentitur ergo Lutherus, et suis misere imponit. Disce hinc non modo mala non agere, sed insuper etiam bonis operibus vacare. Nam primo *omnis arbor,* inquit Dominus: nemo prorsus excipitur aut otiosi permittitur; sive dives, sive pauper, sive sanus, sive æger. Deinde, fructum requirit, non folia, non eruditionem, non proposita nuda et vota. Fructum etiam bonum, non speciosum, qui foris tantum appareat, vel a mundo reputetur, sed qui revera bonus sit. Excidetur: ecce pœnam damni, qua tollentur impii, ne videant gloriam Dei. Et in ignem mittetur; ecce pœnam sensus, qua in æternum cruciabantur. Horrendum profecto verbum. Si enim hoc diceretur impiis, qui innumeris flagitiis sese vendidissent, sat tremendum esset. At dicitur hoc iis, qui operibus bonis carent, qui hic otiosi sedent, licet neminem offendant. Et

quid putatis, auditores? Quid erit mitti in ignem, et in ignem sævissimum; et in ignem æternum? Scribit Cæsarius, lib. XII. c. V. diabolum aliquando apparuisse nobili cuidam Waltero decumbenti prope Bonnam, et dixisse: *Nosti arces illas in vicino septimontio, dictas Wolckenberg et Dracherfeldt? Illo annuente, subdit dæ-*

*mon: Etiamsi hæ arces et montes essent ferrei, projecti tamen in infernum, liqueferent in momento.* Et ut ita sit, tolerabile tamen foret crudele hoc incendium si non æternam foret. Multi per unam horam non possunt flexis genibus orare ante eucharistiam, et quis habitabit cum igne devorante? Cum ardoribus sempiternis?

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

ARBORI BONÆ SIMILEM DEBERE ESSE HOMINEM.

I. Humorem Spiritus sancti de cælo ad se trahat. — II. Cortice bonæ famæ vestiatur. — III. Adversitatibus exerceri debet. — IV. Culturam educationis habeat. — V. Fructus bonos ferat.

#### THEMA.

*Arbor bona fructus bonos facit.* Matth. VII.

Arbori comparari hominem audimus, auditores, in hod. evangelio, et recte, quia arbori non absimilis est homo; nisi quod, ut antiqui aiebant, arbor sit inversa, radicem, e qua alimentum sumit, non in terra fixam habens, sed ad cælum erectam. Quæ etiam causa est, cur doctissimus Philo Judæus, in l. quod deterius pot. insid. hominem appellet *plantam cælestem.* Soli enim homini Deus caput sublime dedit, ut alimenta sua e cælo sumat, et fructus cælo dignos, adeoque cælestes, proferat. Et tales esse vult nos omnes Christus, dum in hod. evangelio requirit bonam arborem, quæ bonos fructus afferat. Nunc ergo videamus qua in re potissimum bonæ arbori debeamus esse similes.

I. Arbor bona humorem terræ ad se attrahere, et inde vivere debet: quod nisi fiat, exarescit et emoritur. Homo etiam, ut secundum animam vivat et fructus bonos ferat, gratia Spiritus s. præditus sit necesse est: id quod egregie ostendit B. Petrus Damiani, in serm. XXI. qui est de Spiritu s. « Arbor namque solo radicitus fixa, succos ex uligine concipit, quibus per inferiora diffusis, et ad incrementa se roboris erigit, et germen emittit. Quique autem fideles arbores sumus, intra sanctæ nemus Ecclesiæ illius summi agricolæ dispositione plantati. Si ergo, ut infructuosæ arbores crescere nolumus, si securibus excidi ac deputari ignibus inutiliter formidamus in illa supernorum civium patria, in humanitate Redemptoris nostri, per charitatis glutinum spei nostræ radix semper inhæreat, ut ad proferendos bonæ operationis fructus

in robur fortitudinis fortiter convalescat. Sed sicut arbor, si vegetantis succi humore deseritur, protinus exsiccat, sic et anima nostra, nisi Spiritus s. gratia fuerit rore perfusa, funditus arefacta, ad nullius sanctæ operationis germen poterit esse fœcunda. » Sic ille. Porro, sicut arbores humorem e quo vivunt de cælo fere expectant, a pluviis nimirum, ita et nos gratiam Dei, quæ ad bene operandum nos excitet, et in operando adjuvet, non nisi a Deo accipimus; et per quid aliud, nisi per orationem? Quam ergo necessaria est arboribus frequens irrigatio, tam necessaria est homini assidua precatio. Unde S. Chrysostomus, hom. I. de precatone, tom. VI. ait: « Quare nobis, qui ab illo institui-mur, vita est in precibus traducenda, usque mens perpetuo irriganda: non enim minus quam arbores aquis, illis indigemus universi. Nam neque illæ possunt esse fructuosæ, nisi humorem radicibus ebibant, neque nos pretiosissimas pietatis fruges fundere, nisi precibus irrigemur. » Hinc David orabat Ps. CXLII. « Anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. » Ubi S. Augustinus: « Complue, inquit, me ad faciendum fructum bonum. » Quod si ad orationem lacrymæ accedant, eo potentior erit irrigatio. Sicut enim vino rigatæ arbores citius adollescunt, et firmiores in terra radices agunt, teste Plinio, lib. XII. cap. I. ita et anima lacrymis perfusa uberiores virtutum fructus gignet, ut testatur supra cit. Petrus Damiani, opuse. XIII. c. XIII. « Lacrymarum, inquit, mador animam ab omni labe purificat, et ad proferenda virtutum germina nostri cordis arva fœcundat. Sæpe namque miserabilis anima, velut sub pruinâ glacie, comas et foliorum ornamenta deponit, et, recedente gratia, ipsa sibimet derelicta, tota remanet arida, et quasi decidendum florum decore nudata. Sed mox ut lacrymæ ex munere intimi inspectoris eruperint, protinus hæc eadem anima revirescit, torporis ignavi frigora solvitur, et tamquam arbor verna, austri fomita



recalescens, rediivo virtutum suarum flore vestitur. » Sic ille.

II. Arbor, ut sit bona, cortice vestita esse, eumque conservare debet; alioquin brevi intereat necesse est. Par ratio est de homine, qui, nisi præter internam sanctitatem, bonam etiam famam sibi quærat et tueatur, facile deficiet, et Dei gratiam perdet. Quemadmodum enim cortex arboris succum et calorem, quasi vestis quædam, fovet et continet; ita bona existimatio defendit virtutes homini insitas et custodit, ne thesaurum illum prodigat. Qui enim bonam apud omnes existimationem habet, timebit utique gloriæ suæ maculam aspergere, quod non nisi peccando fit: quemadmodum qui nitidas et pretiosas gerit vestes, non passim ubique considet, sed mundo dumtaxat loco; qui vilibus indutus est, nullum locum evitat, quia sordes non curat jam ante sordidatus. Hinc Joelis I. dicitur: *Ficum meam decorticavi* (hostis), *vidans spoliavit eam et projecit: albi facti sunt rami ejus.* Ad litteram de Chaldæorum exercitu, qui Judæos expoliarunt, sicut locustæ, ficum cortices arrodunt, et arrodendo arbores destruunt, sermo est. At hoc idem, morali sensu, accidit ei, qui famæ suæ rationem non habet: ea enim deperdita, servatur etiam magna sollicitudine rorum honestas. Ipsa certe continuè illum senem Eleazarum, ne cum scandalo juvenum simularet se comedere contra legem carnes porcinas: *Cogitare enim cepit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis vanitatem, atque a puero optimæ conversationis actus: et secundum sanctæ a Deo conditæ legis constituta, respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, etc.* II. Macchab. VI. Quamobrem, teste D. Hieron. ad Celantiam, epist. XIV. *Apostolici præcepti et cæmpli est, ut habeamus rationem non tantum conscientiæ, sed etiam famæ.* Non enim facile creditur admisisse scelus aliquod, qui boni nominis existimationem habet. Unde apud Persas lex erat, ut, si quis de crimine aliquo convictus esset, non prius condemnaretur, quam tota ejus reliqua vita ejus obnoxia foret, omnium calculo damnabatur; quod non casu, sed habitu deditaque opera malus esse videretur.

III. Arbor, ut sit bona et frugifera, tempestatibus vexari et exagitari debet, frigidisque potius quam calidis afflari ventis. Teste enim Plinio, lib. XVII. cap. II. « Aquilone maxime gaudent: densiores ab afflatu ejus lætiores, et materias

firmioris: alioqui, si blandiantur austro, defatiscunt: » et rursus: « Qui dixit, inquit, hiemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit. » Par ratio est in homine. Qui ait prosperam semper fortunam optandam, et a Deo petendam esse, non pro hominè vota facit, nec consulit ejus salutem; siquidem adversa magis ipsi prosunt. Mundus beatos prædicat illos, quorum: *Promptuaria plena sunt, eructantia ex hoc in illud, oves fætosæ, abundantes in egressibus suis, boves crassæ, etc. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt,* Psal. CXLIII. Sed non pro bono et salute eorum vota faciunt isti. Magis exoptanda est tribulatio et adversitas, quia longe salubrior, hominem in virtute stabilit ac confirmat. Intellexit hoc et Seneca, qui in lib. de provid. cap. IV. scribit: « Quid miraris bonos viros, ut confirmantur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incurSAT: ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt. » Zacchæus non in urbanam, sed silvestrem ascendit arborem, in sycomorom: *Ut arbor bona fructus bonos fæderet,* inquit, S. Ambrosius, lib. VIII. in Luc. In illa vidit Christum, et inde consecutus est salutem. Sycomorus vero, quia agrestes habet et insipidas ficus, quæ non maturescunt nisi unguibus vellicentur aut ferreis unguibus scalpantur, teste Plinio, lib. XIII. cap. VII. idcirco rerum adversarum, quæ carni minime sapiunt, proventum significant. Sed quæ carni insipida sunt, menti plurimum prosunt ad videndum Christum, et consequendam salutem promovent. Unde apostolus, II. Corinth. IV. dixit: *Læcet is, qui foris est homo noster, corrumpatur, interior tamen renovatur de die in diem.* Aquilo igitur austerus et frigidus magis homini conducit, quam blandus et calidus auster. Eam ob causam videtur dicere Eliu, in lib. Job, cap. XXXVII. § XXII. *Ab aquilone aurum venit, q. d. ab adversitate spirituales proveniunt divitiæ. Viderunt, et reipsa experti sunt hoc etiam gentiles illi Philistinorum satrapæ, necnon et eorum arioli ac divinatores, quando captam ab eis arcam fœderis jubent restitui Hebræis; illi quidem dicebant: Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum; hi vero: Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuum, I Regum VI. Ecce vero non potius arcam Dei definent, ut hæc præda gloriari et insultare Hebræis possint? Nimirum arca plaga magna percutiebat Philisthæos, et deiciebat ipsorum Dagonem: unde cognoverunt Dei veri potentiam, sui vero idoli inanitatem: ad hæc, plagis correpti, aperiebant oculos, et agnoscebant errores suos atque injurias, quas intulerant Judæis, easque deplorabant, unde et fana*

na desistebant, etc. Vidit ergo dæmon ventum hunc austerum promovere illos ad Dei veri cultum: idcirco dat consilium ut arca remittatur.

IV. Arbor ut bona fiat, suam etiam culturam requirit, præsertim cum adhuc tenera est: adulta vero expurganda est a vermibus, ramis arefactis, museo adhærente, etc. Homo etiam, ut bonus fiat, educatione indiget et disciplina, sine qua stipes, et truncus erit. Hinc forsitan aliqui parentes, nato sibi filio depauperunt eodem die arborem in hortis suis, uti parentes Marii quercum *Marianam* inde appellatam, apud Cic. I. I. de leg. ut docerent forte, pari passu incedere culturam hominis et arboris. Ita enim Ps. CXXVII. dicitur: *Filli tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Et enim oleaster, si inse-rantur ei surculi olivæ, feret baccas oleastri, non olivæ; ita et qui malæ est indolis, disciplinæ insitione facile fiet bonus. *Certum enim est,* inquit Clemens Alex. in præd. *non natura sed disciplina viros bonos et honestos fieri.* Ex agresti stipite, si implantetur ei surculus urbanus, fit arbor urbana et nobilis. Rursus: « Detruncatas nonnulli pinus, aut incensas ustasque flammis in querceta observarunt verti, inquit S. Basilius, homil. V. in hexam. Sunt et quarum suæ naturæ vitium agricolæ cura diligentiaque depõnere ac extrudere novimus, ut puniceas acidas amygdalasque amaras. Cum enim ima in parte radici propinquasti pini perforatæ cuneum ex pino pinguem per mediam adactum medullam susceperint, saporis tum fastidio gratum in usum mutato, dulcescunt. » Quare si etiam teneræ ætati, tametsi ea malam indolem et ingenium traxerit ab utero vel prima institutione, cuneus disciplinæ adigatur in animum, poterit et ipsa commutari in virum bonum et tractabilem: ex puero malo et indomito in sedatum, in mitem ex immiti. Neque solum hoc, sed ex bono melior, ex virtuoso virtuosior evadet, qui bene excultus fuerit, quemadmodum et arbores. Miles quidam r. Artaxerxi per Persidem equitanti malum punicum maximum obtulit dono. Rex magnitudinem ejus admiratus, interrogavit: E quonam horto depromptum hoc donum mihi affers? Illo vero respondente, et e domo sua et ex suis agris, gravisus rex supra modum, missis regis muneribus, virum ornavit, et: *Per solem,* inquit, *iste homo tali curatione et diligentia poterit etiam civitatem, meo quidem iudicio, ex parva ampliore reddere,* *Eliau.* I. I. var. hist. c. XXXIII. Quod hic in malogranatis adeo ingras-sandis sua cultura effecit, poterit et homo in excolenda anima et sua et aliorum, eaque sua industria lætificare Deum et angelos. Hinc multi in adulta ætate et sibi irascuntur et parentibus ac magistratibus suis, quod in juventute melio-

ribus disciplinis non fuerat imbuti, uti inter alios Maximil. I. imp. qui cum adhuc adolescentulus in dialecticis fere sophismatibus dumtaxat rebusque aliis parum utilibus instructus ætatem trivisset, postea maturus sensit neglectum sui, ac dixit: *Si hodie viveret præceptor meus Petrus, efficerem ut se instituisse me peniteret.* Cusp. in Maximiliano. Sed et in matura ætate habet homo quod excolat in seipso: quemadmodum et hortulanus in arboribus. Quare monet S. Chrysostomus, homil. XXIV. de variis in Matth. locis: « Esto itaque homo arbuscula tuæ valde diligens cultor, esto hujus plantationis sollicitus semper amator: ut in ea arida, quæcumque sunt, abscindantur; quæ infructuosa sunt, amputentur; quæ fructuosa sunt, excolantur; diffusos ramos et nemorum opacitate condensos, spirituali falce compone, ac abundantes fructus potius, quam luxuriam mali germinis nutriant; ramorum nimios et abruptos excessus diligenti sollicitudine reseca, ut reseccato in fœcunditatem fructuum exurgant. Ubertate enim germinis, non inani specie, dominus delectatur: steriles non amat, fœcundas exoptat, fructuosas diligit, aridas amputare consuevit. Sagina igitur tuis fructibus Dominum, ut suis te ipse saginet; sterilitate tua non esuriat, ne et ipse faciat te esurire; da illi fructus quos exigit, et accipe quos promittit; exhibe ei quod donat; tribue ei nascentia quæ cupit, et ipse tibi quæ cupis attribuet: tunc enim poteris ejus fructibus saginari, si ejus esuriam a te contigerit satiari. »

V. Arbor bona fructus ferre bonos debet, neque opera solum, sed et verba bona. Ita enim Ecclesiasticus, c. XXVII. ait: *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis.* Ex fructu arbor, et ex sermone cor agnoscitur: unde Dominus, Matth. XII. *Ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Similiter Clemens Alex. II. pedag. c. V. « Cum verba, inquit, omnia a cogitatione et moribus emanent, fieri non potest ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant a moribus ridiculis. Arbor mala non facit bonos fructus, Matth. VII. Sermo enim fructus est cogitationis. »

Secundo, fructus ferre suos, non alienos debet. Odericus, lib. II. fatetur se spectasse apud magnum Cham, pinum arborem ingentem ex cujus ramis singulis, tamquam e vitibus uvæ, prægrandes uniones ac gemmæ dependebant. Fructus hi non proprii illius arboris, sed alieni erant: quales sunt quorundam nobilium, qui de virtutibus majorum suorum solummodo se jactare solent, cum de suis nequeunt: quando-



que et reigiosi aliqui, qui e sanctitate fundatorum et prædecessorum suorum gloriam sibi venantur. Quibus dicitur Jerem. XI. *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es?*

Tertio, fructus ferat sponte sua nullo cultorum labore, quemadmodum et arbores jam adultæ ferunt. Unde Plinius, l. XXIII. c. I. sic introducit arborem loquentem: «Plurimum homini voluptatis ex me est: ego succum vini, liquorem olei gigno ego, palmas et poma totque varietates: neque ut tellus per labores aranda tauris, etc. at ex me parata omnia, et sese porrigentia ultro, et si pigeat attingere, etiam cadentia.» Faciet hoc et homo, si pauperibus et afflictis manum auxiliarem porrigat, nullo etiam merito et reciproco obsequio, nulla præmissa opis imploratione. Ita Loth, non rogatus, sed ipse potius rogans suscepit adventantes hospites, et quidem summis precibus, ut ad se divertere dignarentur, Genes. XIX. ita David proprio motu inquisivit, an quis esset de domo Saul superstes, ut beneficeret ei propter Jonathan, II. Reg. IX. pari industria B. Paula clinicos (incurabili morbo affectos) inquit D. Hieronymus, ep. XXVII. *totam urbem perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis et esuriens cibis sustentaretur alienis.*

Quarto, fructus in sublimi gerat, non ad terram deprimat, ne ab obviis alioquin statim diripiantur, et domino suo auferantur. Insidiatur vana gloria bonorum operum fructibus, etiam in alto collocatis et in secreto positus, nedum iis, qui oculis aspicientium et rapinæ collaudantium expositi sunt, teste S. Basilio, in constitut. monasticis, c. XI. *Illæ, inquit, vel in ipsius cæli convexis, insidiarum adversum nos collocatrix virtutes ramis in cælum usque licet expansis ac porrectis adornatus profligare ac deturbare pertinacissime contendit.* Quanto magis igitur timendum, virtutum ramis ad terram depressis? Itaque paulo post suadet idem sanctus pater, ut fructus illos in altum evehamus ad Dei solius gloriam, quomodo Apoc. XII. partus, cui insidiabatur draco, quamprimum editus fuit, raptus est ad Deum et thronum ejus. Eo consilio usus S. Friardus est, cum enim baculum in terram defixisset, et infusa aqua sæpius rigasset, brevi fontes et germina et poma baculus arboris proceritatem excrevit. Quo miraculo plebs commota turmatim ad Friardum convenire, velut ad virum sanctum, cepit. Videns igitur Friardus fructus operum suorum terræ nimium vicinos, adeoque vanæ gloriæ ad rapinam expositos, arrepta securi, arborem succidit, uti refert S. Gregorius Turon. in vita pp. c. X. apud Sur. 1. aug.

Quare, auditores, si hæc quæ diximus, quæque requirit arbor, nobis non defuerint, promitto vobis a Deo singularem protectionem, qua ipse vos tuebitur, donec implantet in hortum gloriæ suæ. Fuit hujusmodi arbor bona S. Gregorius Thaumaturgus, qui in Decii persecutione una cum diacono suo fugit ad montes; cumque proditus esset, insecuti persecutores, montem cinxerunt et perscrutati sunt; cæterum Gregorius: «Hortatus est comitem suum, ait Nyssenus in ejus vita, ut firma erga Deum fiducia consisteret, eique salutem committeret, similiter atque ipse faceret manus ad orationem extendens, ac ne, ei prope quidem persecutores accessissent, metu fidem excussam projiceret. Exemplum ejus rei, quam præcipiebat diacono, seipsum præbebat, cum et immotis oculis, et passis manibus, et habitu arduo atque erecto cælum intueretur. Ita factum est ut scrutatores, præter duas arbores paululum inter se distantes (Gregorius scilicet orans cum socio eis videbantur esse duæ arbores) neminem se vidisse affirmarent: quibus digressis, proditor videns non esse arbores, sed homines, procumbit ad pedes S. Gregorii, creditque sermoni; et qui paulo ante persecutor fuerat, unus ex profugis factus est, » ita fere in ejus vita.

## CONCIO II.

### HOMINES AMBULANTES VELUT ARBORES.

I. Considerata humanæ fragilitatis conditione. — II. Consideratis fructibus qui ab homine expectantur. — III. Considerata apprehensione nostra.

### THEMA.

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Matth. VII.

Videmus quidem frequenter arbores infrugiferas excidi, et in ignem mitti. Sed quis vidit aliquando arbores hujusmodi in ignem ambulantes? Vidit sane cæcus ille ad Bethsaidam, necdum plene a Christo illuminatus, Marci VIII. Interrogatus enim a Christo: *Si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.* Vidit ergo iste arbores ambulantes, homines scilicet steriles, quales fuisse illos credibile est; et quorsum ambulantes, nisi in damnationis ignem? Ut enim arbor inutilis alio non ambulat nisi ad focum; ita et homo sterilis non nisi ad infernum, Domino testante in hodierno evangelio: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Miseri et cæci homines! Quod enim arbor sterilis esse in ignem, id non sua voluntate, quam non habet, sed aliena facit; nec seipsam ad ignem

promovet: at vero stultus peccator propria voluntate et suis pedibus ambulat ad ignem, et quidem inextinguibilem. Videndum ergo accuratius qua ratione homines ejusmodi ambulent velut arbores.

I. Si consideremus numanæ conditionis miseriam et fragilitatem, homines, et quidem omnes, videbimus ambulare sicut arbores.

Quomodo ambulant arbores? Initio dum teneræ arbusculæ sunt, fragiles admodum sunt, unde alligari debent; facillime de causa læduntur, atque exarescunt, ideo parva sepicula cinguntur. Tum in juvenia, quasi adolescentes, speciosæ fiunt aspectu tenero et levi cortice, humorum abundantia in folia luxuriantur, seque dilatant. Post in virili quasi ætate consistentiam suam habent, et fructus ferre incipiunt. Denique, cum annosæ evadunt, speciem et decorem suum sensim amittunt, arescentibus et cadentibus ramis, intus putredine consumuntur et sterilescent: post hæc vel modico agitata vento incipiunt cæpere, et tum suapte infirmitate cadunt, vel alieno robore excinduntur. Interea variis etiam morbis homini communibus vexantur, uti vermiculatione, sideratione, et dolore membrorum, ut testatur Plinius, l. XVII. c. XXV. Denique, excisarum ligna, si utilia et pretiosa sint, uti cupressi, cedri et similium, reservantur et adhibentur ad ornatum rerum variarum: quæ vero inutilia, curva, nodosa, applicantur igni fovendo. Sic se habet cursus vitæ humanæ: fragilis est in infantia; ideo nutrice eget: speciosus in adolescentia, petulans et luxurians; unde pædagogus opus habet: frugifer in ætate primum adulta: denique in senectæ perdit sensim vires et decorem suum, cadunt dentes, oculi, capilli, nutant pedes, tremunt manus, vox raucescit, sicque tandem concidit sive propria debilitate, sive alieno impulsu et violentia: variis interim morbis fractus, velut arbor paulatim exciditur. Certe pulsus cordis nostri, si attente observetur, videtur esse sonus duorum, qui serra dissecant arborem, suntque illi duo sectores, systole et diastole. Morte obita, vel ad dexteram cadit, si bona arbor fuit, æternæ felicitatis: vel ad sinistram ignis inextincti, si mala. Hanc humanæ vitæ fugacitatem et inconstantiam designari per arbores quasi ambulantes visas a cæco, sentit D. Chrysologus, serm. CLXXVI. dum quærit cur ei homines apparuerint: «Sicut arbores, non ut columnæ, aut aliud quid; neque stantes, sed ambulantes?» Et respondet: «Quia, post curam Christi, viderat quod homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent: temporalem plantationem germinis humani esse in hac vita mox

videt, quem curaverat Christus, » q. d. aliquid vidit is, nondum plene illuminatus, vidit enim homines non stantes, sed ambulantes; non ut columnas, sed ut arbores, quia columnæ nullis flatibus quatuntur: unde stabilitatis symbola sunt; arbores vero facile et continuo agitantur, vicissitudini obnoxie in frondibus, floribus, fructibus, ætate, ideoque levitatis et inconstantie typi sunt. Hoc igitur primo omnium semi-illuminatus vidit, et bene quidem, dum homines, instar arborum, ambulantes seu transeuntes vidit, quales tamen se esse oculati multi non vident. Verum aliud est quod nondum ille vidit, et in quo erravit, dum homines velut arbores aspexit. Quam enim magnæ, altæ ac spatiosæ sunt arbores! Quam parvus, humilis et angustus homo! Et ubi tales gigantes inter homines? Nimirum, sicut qui per nebulam intuentur, omnia majora quam sint, aspiciunt, et: «Imperfectis oculis, ait ibidem Chrysologus, grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ; quia non jam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis.» Jam in hoc cum cæco isto hallucinantur homines parum illuminati, qui seipsos et terrena omnia velut longe majora aspiciunt et æstimant, quam revera sint. Talem seipsum aspicebat Nabuchodonosor in arbore illa magna, forti et procerâ contingente cæcum. Videns enim potentiam suam super omnes reges terræ, neminem metuebat, neque Deum quidem, nec advertit quod ei dictum fuit: *Succidite arborem, et præcidite ramos ejus, et cum feris pars ejus in herba terræ; se videlicet a regno in silvas ejiciendum, et cum feris fœno pascendum, Dan. IV.* Sic etiam cæcutiunt mundi sectatores omnes, qui res exiles et viles, uti voluptates, opes, honores, pro rebus ingentibus et plane divinis habent atque adorant: vicissim vero res vere magnas et sublimes, quasi exiles et humiles spernunt, vel exiguo nimis pretio existimant. Talis fuit Judas, cæcus plane mercator, qui unguentum a Magdalena e parvo vasculo effusum trecentis æstimavit denariis, seu quinquaginta florenis nostris, ipsum vero totius cæli et terræ Domini non nisi triginta vendidit argenteis, qui faciunt decem nostros florenos, Marc. XIV. E contra Magdalena nihil æstimavit unguentum, licet pretiosum; tanti vero Christum, ut cum effuso unguento etiam alabastrinam pyxidem frerit super caput Christi, quasi innuens, se totam suam substantiam libenter pro ipso daturam: nimirum oculata fuit Magdalena, cæcus fuit Judas.

II. Si consideremus fructus bonorum operum, qui expectantur ab homine, similis videtur arbori ambulanti seu progredienti ad fructifican-